



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis & Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.

Melanchthon, Philipp

Vuitebergæ, 1544

VD16 E 4532

Dominica Prima Post Trinitatis, Evange. Lucae XVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35272

TRINITATIS.

14.

nec est inutile è regione Antithesin considerare. *Antithesis.*
 Est autem primus error aduersariorum, quod ima Error papis.
 ginantur homines posse satisfacere Legi Dei. *Tant.*

Secundus error, quod somniant hominem me-
 reri remissionem peccatorum proprijs operibus.

Tertius error, quod prorsus silent de fide ac-
 cipiente remissionem peccatorum, propter Chri-
 stum. Imo addunt contrariam sententiam, scili-
 cet quod homo debeat semper dubitare, an sit in
 gratia.

Quartus error, quod fingunt opera renati
 esse impletionem Legis, & meritum uitæ eternæ,
 cum tamen ne ipsa quidem opera renati, & disci-
 plinam rationalem discernere possint.

Quintus, cum nihil dicant de fide, imo iu-
 beant dubitare, non possum recte docere iustifica-
 tionem, & tantum tradunt Ethnicam inuocatio-
 nem, cum clamitet Christus: *Quicquid petieritis*
Patrē in nomine meo, dabit uobis, id est, nō fiducia
uestræ dignitatis, sed fiducia Christi mediatoris.

DOMINICA PRIMA POST
TRINITATIS, EVANGE.

Lucæ XVI.

Homo autem quidam erat diues,
 & induebatur purpura & byssō,
 & epula-

DOMINICA PRIMA

& epulabatur quotidie splendide. Erat autem quidam pauper, nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, ulceribus plenus, & cupiens saturari de misericordiis, quæ cadebant de mensa diuitis. Sed & canes ueniebant, & lingebant ulcera eius. Factum est autem, ut moreretur pauper, & portaretur ab Angelis in simum Abraham. Mortuus est autem & diuines, & sepultus.

Et in inferno eleuans oculos suos, cum esset in tormentis, uidit Abraham a longe, & Lazarum in sinu eius, & ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremitum digiti sui in aquam, & refri geret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Dixit autem Abraham: Fili recordare, quia recepisti bona tua in uita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur, tu uero cruciaris. Et super hec omnia inter nos & uos Chaos magnum firmatum est,
ut hi

POST TRINITATIS. 15.

ut hi, qui uolunt hinc transire ad uos,
non possint, neque inde ad nos trans-
meare.

Ait autem: rogo ergo te pater, ut
mittas eum in domum patris mei, ha-
beo enim quinque fratres, ut testetur
illis, ut non & ipsi ueniant in hunc lo-
cum tormenti. Ait illi Abraham: Ha-
bent Mosen & Prophetas, audiant il-
los. At ille dixit: Non pater Abra-
ham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos,
pœnitentiam agent. Ait autem illi: Si
Moisen & Prophetas non audiunt, ne-
que si quis ex mortuis resurrexerit, cre-
dent.

PRIMVS LOCVS.

Generalis reprehensio est eorum, qui sunt
duri erga pauperes. Nec intelligatur ex-
emplum tantum de uno genere Eleemosy-
nium, sed eundum est per ordines. Pontifices &
Reges sunt duri erga Ecclesiam, non student recte
fanare dissipatum, exercent crudelitatem iniu-
stam. Item gubernatores alij negligunt defen-
sionem pauperum, Item priuati non iuuant Eccle-
siam

DOMINICA PRIMA

Siam & pauperes officijs, quibus debebant & posterant iuuare. Ita generaliter intelligatur hæc reprehensio. Notum est autem præceptum. Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur. Item: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Hæc opera summe necessaria. & quomodo placeant, alias sepe dicitur, scilicet propter Christum mediatorum in his qui credunt.

SECUNDVS LOCVS.

Consolatio proponitur contra scandalum crucis. Lazarus pauper uidetur desertus à Deo, cum sit in extremis miserijs. Et tamen hic testatur Christus, hunc placuisse Deo, & curæ fuisse, & Angelos ei affuisse. Hanc consolationem in calamitatibus tenere necesse est, ne propter eas iudicemus nos abiectos esse.

TERTIVS LOCVS.

Divites uituperatur, non quod possederit diuitias, Quia Deus Reipub. causa mult aliquos habere maiores facultates alijs. Sed duo uitia tribuntur diuini: Quod uixerit securus, & neglexerit pauperem. Securitas trahit secum multa uitia, uidelicet, quia in securis non est pœnitentia, non est metus diuini iudicij, non sunt exercitia fidei, non est sollicitudo pro Repub. pro Ecclesia &c.

QVadr

POST TRINITATIS. 16.

QVARTVS LOCVS.

Sinus Abrahæ est quies piorum, qui ex promissione facta Abrahæ, fidem, consolationem, & uitam æternam conceperant.

QVINTVS LOCVS.

Æterne poena describuntur figuratè, sítē & hiatu. Sed alibi proprie describuntur, quod sit horribilis dolor animi, paucor & fuga.

SEXTVS LOCVS.

Vtilis doctrina traditur de uerbo Dei. Christus iubet nos de uoluntate Dei tantum consulere uerbum Dei, quod nobis propositum est, nec querere alias reuelationes, nec credere mortuis, sicut alibi scriptum est: Non quærите ueritatem à mortuis. Hæc sententia refutat specta mortuum, Item, invocationem Sanctorum.

Hæc est summa huius historiæ. Cæterum imago accommodetur ad præsentes Ecclesiæ calamitates. Sicut hic diues negligit Lazarum, ita re ipsa nunc Pontifices, Reges, & Principes iacentem Ecclesiam ad uestibulum ipsorum negligunt. Non studient ueris modis conciliare dissipatam, defendunt errores, alibi interficiuntur Doctores, alibi fame pereunt, negliguntur Scholæ. Interea tamen canes, id est, aliqui spreti è uulgo utcunq; iuuant Ecclesiam, & laniunt ærumnas docentium & aliorum, qualibuscunq; officijs.

DOMINI